

vel per accidens. Libro tertio Logicorum hoc obiter attin-  
gimus.

Affectiones thematis disjunctæ sunt, quæ con-  
veniunt illi per divisionem: ut, quod omne thema  
sit 1. verum vel fictum. 2. protonoëmaticum vel  
deuteronoëmaticum. 3. principale vel minus prin-  
cipiale.

**Thema verum est rei existentis: fictum contra:**

Ut, vita æterna est thema verum, purgatorium est fictum.  
Hic obiter observa, thema fictum esse vel otiosum, ut est  
limbus patrum; vel fructuosum, ut sunt multa figura  
poëtica, quæ ethice, politice & physicè explicata singularem  
habent usum; ut videre est in *Mythologiam Natalis Comitis,*  
& *Davidis Schrami Physicam & Ethicam.*

**Thema protonoëmaticū est, quod exprimit no-  
tionem primam, ut homo, cælum: deuteronoëma-  
ticum est, quod exprimit notionem secundam:**

Ut, nominativus, metaphora, syllogismus, zodiacus. No-  
tiones secundæ aliis dicuntur secunda cogitationes, secundo  
cogitata, Platonι λόγοι τεχνικοί, Aristoteli λόγοι οὐσιώ-  
ντων, Tertulliano verba legitima; in Glossario veteri dicun-  
tur axamenta. Quid sit notio prima, quid secunda, in Me-  
taphysicis docetur. Non itaque pertinet ad Logica præce-  
pta hæc tractatio, sed ad commentaria, in quibus breviter  
hæc doctrina è primâ philosophiâ repetenda est. Notio in  
philosophiâ est conceptus mentis. Hic conceptus est tri- Conceptus  
plex, formalis, objectivus, & objectivus consequenter. Con- rei potest  
ceptus formalis, qui rem formaliter cognitam menti repræ- esse tripex.  
sentat. Vocatur formalis, quia repræsentat rem secundum  
realia attributa. Conceptus objectivus, est ipsum cognitum  
objectum, circa quod conceptus formalis versatur. Con-  
ceptus objectivus consequenter est, qui sequitur conceptum  
objectivum, tanquam umbra corpus. e. g. video hominem,  
quem mens mea concipit formaliter, dum actualiter con-  
vertitur in hominem, vel hominem convertit in se. Nam  
cognitio est assimilatio cognoscentis & cogniti. Perinde igi-  
tur est, siue dicas intellectionem, quâ intellectus canem co-